



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 53. Guisius Dux totius exercitus imperio honoratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Guisus supremus exercitus Dux nominatus.

Itaque Regina hanc victoriam edocta ad Guisium literas dabat, ut eidem non modo rei tam prospere gestæ felicitatem gratularetur, gratesque rependeret, sed insuper ut eidem significaret, quod Rex ei supremum Regii exercitus imperium deferret.

*Thuan. l. 34.
Daniel hist.
de France
t. 6. p. 312.*

Guisius, ut fertur, ab initio quidem hunc honorem recusabat, simulque Marescallum Brisacum pro hac præfectura proponebat, utpote Virum, quem ad Montmorantii Connestabilis munus digne obeundum ceteris magis idoneum censeret: verum Rex Guisium, ut hanc dignitatem acceptaret, compulit, quapropter mox Colinium Maris Præfectum insequi constituit: hic pariter post Drocense prælium suas copias in aciem educebat, promotisque parumper castris hostes suos aggredi parabat, ut hac agendi ratione acceptæ cladis rumorem dissiparet: itaque suos undique dispersos colligere intentus, secundis castris Gallardonium profectus est, quodam belli tormento, quod columbrinam vocant, relicto, atque in terram defosso, quod postea in Guisii Ducis potestatem devenit. Inde Alnatum

Xx 5

tum

Sæcul. XVI.
A C. 1562.
tum contendit, ubi ei ob Condæi Principis absentiam ab omnibus uno consensu summa armorum præfectura delata est: tertiis vero castris Puteolum in Belsia haud longe a Janvilla, ac postridie Patæum venit, ubi biduo commoratus, mox aliquantulum deflexit. Catholicorum copias, quas Blælas contendere inaudierat, intercepturus: eas igitur Pretevallium usque in Vindocinensi agro infecutus est, tandem vero Baugentiacum exeunte anno venit, eo consilio, ut refecto ponte suas copias in Soloniacum agrum, & Bitunigas ad hiberna dimitteret, quo & suas missurum Guisium Ducem intellexerat, ut ad Aurelianam obsidionem, quam jam ille animo agitabat, promptiores, ac paratiores essent.

§. LIV.

Rationes a Synodi accessu Protestantes deterrentes.

*Spond. hoc
ann. n. 40.*

Postquam Ferdinandus Imperator octo annorum inducias a Turcis impetraverat, promisso annuo triginta millium aureorum tributo, quod durantibus hisce induciis Solimano penderet, omnem suam sollicitudinem in eo impendit, ut Protestantes ad Ecclesiæ unitatem reduceret, eosque ad acceptandam Synodum permoveret: porro haud obscure